PIO . IX

P·O·M·

CLERI · ALEXANDRIAE · STATIELLORUM · CONVENTUS



ALLOCUTIO AD EPISCOPUM

PRO VENIA

Jucundo animo, Amplissime Præsul, jucundo animo Tibi, præclaris Concionatoribus, totique venerabilium Sacerdotum Ordini hic considentium me sistam, pauca, Te annuente, locuturus.

Quoties enim ad Sacras Exercitationes huc conveni, cum semper extremo die aliquo carmine latino sermone, habita argumenta complectente, Congregatis valedixerim, a proposito hac quidem vice profecto non deficerem. Cum vero eadem pene semper habeantur argumenta, ac proinde semper et mihi, sin minus verbis, saltem sensu, eadem essent carmina concinanda, in aliam hodie descendi sententiam. In quam, Amplissime Præsul, præclari Concionatores, venerabiles Sacerdotes?... Venerabundi collætemur! — De Summo Pontifice PIO NONO, ad Cuius pedes, sex abhinc annis humillime provolutus, et os ad os colloquendo quadam beatitate, dixerim, sum perfusus, verba Vobis nunc faciam.

Verum ne maris tam spatiosi in altum vectus undis obruar, e portu non provehar, litus tenebo, et de Ipso pro Œcumenico Vaticano Concilio indicto, inchoato, dilato, sermonem tantun habebo. Ratus id gratum futurum, nulla interposita mora, exordiar.

HUMILLIMUS PRESBYTER

JOANNES FRACCHIA

A RIVARONIO

In Nativitate Domini nostri Jesu Christi

Eminentissimo Sanctae Romanae Ecclesiae Principi

Archiepiscopo Bononiensi

Cardinali Morichini

Gloria Caelicolis, Homini Pax recta volenti;
Sic, nato Christo, concinit aether ovans

PIO · IX

AUGUSTO · MAXIMO · PONTIFICI

ANIMI · CANDORE · MORUM · SUAVITATE · CARITATIS · EFFUSIONE

PONTIFICATUS · VICISSITUDINIBUS · DIUTURNITATE · GESTIS

TOTO · PERSTREPENTE · TERRARUM · ORBE

GLORIOSISSIMO

CLERI · ALEXANDRIAE · STATIELLORUM · CONVENTUS

DELABENTE · SEXTILI · MDCCCLXXIII

SPIRITUALIBUS · INCUMBENS · EXERCITATIONIBUS

AUSPICE · EPISCOPO

PETRO · JUCUNDO · SALVAJ

LAETA · FELICIA · IN · AEVUM · PRECATUS

IN · CATHOLICAE · FIDEI · UNITATIS · SEDI · APOSTOLICAE · OBEDIENTIAE

ARGUMENTUM

AD · PEDES · SANCTISSIMOS · HUMILLIME · PROVOLUTUS

COLLATITIA · PETRIANA · STIPE · DEPOSITA

MUNUSCULUM · HOC

DICAT

Elegia

Custodum Fidei Patrum Conventus in Urbem
    Rumorem didit quæque per ora sui.

Eius in intuitu spondens sibi fausta Fidelis,
    Exultat, gestit, plaudit, ioque canit.

Impius indignans ira livescit, et ardet,
    Irrita nam cedit spes, ruit eius opus.

Vaticana Fides divina oracula prodat,
    Ne lateat Populos quod iuvat, atque decet.

Ipsa, loquente Deo, falli, vel fallere nescit;
    Imperet, aut moneat, verba salutis habet.

Dogmata sancta docet, communia iura tuetur;
    Eius Vexillum Pax, Amor, Ordo, Quies.

Horrendum dictu! Nunc temporis, hisce diebus,
    Quolibet inspicias, nil, nisi triste, vides.

Impietas effrenis eo truculenta superbit,
    Funditus ut Christi perdere vellet opus.

Hæc fronte adversa nervos intendit in unum,
    Ut Christi abs animis exulet alma fides.

Hæc Arii viro, viro perfusa Renani
    Denegat in Christo perdita nosse Deum.

Hæc hominem natum brutis effutit ab ipsis,
    Brutorumque instar dictitat inde mori.

Hæc; quid plura? dolis fraudes, mendacia miscens
    Ad Satanæ votum congerit arte minas.

Proh dolor! In populos error velut amnis inundat,
Ac, ut aquam, vitii pocula plena bibunt.

Vidit, et ingemuit, tendensque ad sidera palmas
Ferre PIUS studuit commiseratus opem.

Eius, dante Deo, pubet virtute senectus
Ecclesiæ, ac populis Se, sua quæque vovens.

Rerum, ac humanæ tanto in discrimine mentis
Visa fuit Synodus certa medela malis

Hanc PIUS indicit; postremis Orbis ab oris
Conveniunt Patres, Conciliumque sedet.

Roma, quid Augusti tantum sub numine gestis?
Siste, attende, vide: maior es ergo PII.

Non ferro, at ligno Fidei Regina triumphas;
Urbs Urbes inter Maxima, et Una sedes!

Concilio præest, cum Patre et Flamine, Christus;
Suggerit, et dictat quodquod adesse videt.

Audite, o Populi, de longe attendite, Gentes:
Nunc Roma eloquitur, diva magistra docet.

Lex a Monte Sion perfecta e collibus Urbis
Exeat, et docilis pareat omnis homo.

Unius, Trinique Dei doctrina probatur
Ipsiusque manet credita tuta Fides.

Dogma, quod ex animo Patres tenuere seorsum,
Hoc dein in Synodo constituere simul:

Pastorum Princeps, Supremus in ordine Mysta
Nescius est falli; fallere neve potest.

Omnia mirifice procedunt inde gradatim,
Et Fidei, et Morum Res agitata patet.

Quid vero? Armorum strepitus, bellumque minantes
Intonuere tubæ: territa Roma pavet.

Quid, PIE, quid, Patres, Vobis nunc expedit? Ordo
Solvitur; Antistes ad sua quisque redit.

Oh! PIE, curarum nas vasto in gurgite mersus,
Non tamen obrueris; litus adibis ovans.

Te, sicut Petrum, Christi fert Dextra per undas,
Subque tuis pedibus dira procella silet.

Te nunc dura manent; Te prospera fata manebunt;
In Christo nectes laurea serta comis.

Christus heri, ac hodie, molimina ridet Iniqui:
Dæmonis, ac hominum structa pericla ruent.

Quotquot Apostolicæ Fidei nancisceris hostes
Sternes in Christo pulveris instar humi.

Ecquis it inficias? Christi promissa fatentur
Ecclesiæ in Petro semper adesse suæ:

Pro te, Christus ait, *Patrem sum, Petre, precatus,*
Ne tua deficiat tempus in omne fides.

At PIUS in Petro, cum Petro est Christus in ævum,
Ergo PII nunquam deficienda Fides.

Uni summa PIO Christi est collata potestas,
Ipse vices Christi, Petrus ut alter, agit.

Pastor oves pascet, Doctor præcepta docebit,
Pro Christo leges legifer Ipse feret.

Jure PII unius reserare, et claudere Cœlos,
Jure ligare Nequam, solvere vincla Reo.

Lux PIUS in tenebris, Sal vitæ, Duxque salutis:
Unus Is ad Cœlos signat amicus iter.

Quod PIUS ex Cathedra loquitur, monet, imperat, urget,
Semper enim loquitur Vox sua verba Dei.

Omnia deficient, transibunt omnia mundi;
Stat sed in æternum sermo, fidesque PII.

Eius in amplexum terrarum convolet Orbis,
Christi omnes Gentes colligat umbra Crucis.

Proh! tot in adversis iucunda hæc luce coruscans
Adventet tandem discupienda dies.

Tunc Unus Pastor, tunc unum fiet Ovile,
Inde penes superos Glória, Vita, Salus.

HUMILLIMUS SACERDOTUM
JOANNES FRACCHIA
A RIVARONIO

Bosco Marengo, ex Typographia Reformatorii 1873.

Obtenta Ecclesiastica facultate.